

I V L I I
ALEXANDRINI
ANNOTATIONES

I N
GAL. HORTATIONEM AD
ARTEM DISCENDAM.

C A P. I.

ΟΝ καὶ προφορικὸν ὀνομάζουσι. *Quem & proferentem vocant.*) nimirum λό-
γοι. Sic quidem proferre verba dicimur, quod nihil aliud est, quam ser-
mo. Vt προφορικὸς λόγος, quæ proferitur ex ore, oratio fit, animi sensa ape-
riens, quod hominis proprium est. Quare Proferens sermo uertendum fuit,
non Prolatus, ut actiua significatio seruetur, quam προφορικὸν illud habet: si-
mul ut uerborum sententia retineatur integra, & sensus prolationem ipsam,
quæ in præsentia fit, notaret, non autem iam factam. Sicuti sanè alia ex parte
ἐνδιέθετος λόγος, nempe insita atq; innata à natura ratio, quasiq; oratio, no-
tas sui exhibet aliquas in animalibus quibusdam non obscuras, quibus quasi
uocem mittere quandam uideri possint: ut illud, ἐνδιέθετος λόγος, pro oratio-
ne sumi queat animalium interna, animoq; eorum insita, qua corporis sæpe
gestu tanquam loqui uel uidentur, etiam si uerba ipsa non proferant: non
ea tantum dico, quæ texendo, ut araneus, aut ut hirundo & apis ædificando,
& huiusmodi alia, nature ductum suæ sequuta faciunt, ipsa interea superioris
ac nobilioris facultatis uiribus faciendo directa: sed quæ suapte, sibiq; con-
nata, nec aliunde adiuta (quantum quidem huc spectat) natura, specimina
edunt rationis cuiusdam propria atque aperta quædam, ut in cane uidere est,
in elephanto, in quibusdã præterea alijs. Atq; hæc dicunt sapientes summum
imaginatricis animæ potentia apicem obtinere, in proximo, quasiq; in con-
finio rationis cuiusdam posita: is fuerit uerè ἐνδιέθετος λόγος, ἀλλ' ἔ' προφορικὸς,
animo conceptus, illiq; infusus, & instillatus, non prolatus sermo, siue ratio.

καὶ τὰς ἄλλας ἀπέσας, ἃς ἔχει. *Aliasq; omnes, quas habent.*) Nimirum artes sa-
gittandi, canendi, diuinandi (nam medendi prius dixerat) quatuor in uniuersum.
quas cunctas Apollini tribuit uetustas: adeoq; congruū, conueniēsq;
harumq; omnium significans adeptum fuisse nomen Deum hunc, docemur
ex Platonis Cratylō.

C A P V T II.

τῶ δ' ἐκ τῶν θαλαττίων ὑπερετόντας ἰχθῆς. *Huic uerò etiam subseruientes mari-
nos pisces.*) Nota apud Herodotum historia, libro qui Thalia est, de annulo in
mare proiecto, gemmaq; nobilissima, à Polycrate Samiorum tyranno, pro-
sperrimè undecunque flantis fortunæ suæ cursum felicem nimirum suspectum
habente, ac uicissitudinem eius uerito, quasiq; litare illi cupiente, atque in ca-
pto demum pisce, Polycratiq; donato relata cum annulo gemma, quasi in-
seruiens ita tyranno piscis acceptam eam illi retulerit.

καὶ Διονύσιον ἐν κορινθῶ. *Corinthe Dionysium.*) Nempe eò compulsus à Timo
leonte, coactumq; tandem docere literas pueros, ad sustentationem sui a-
perto ludo, in exilio.

Χάραν ἕκαστος, ἢ ἑκάστῳ ἔδωκεν, ὅτι ἀπολιπόντες. *Locum quem ille assignauerit ser-
uantes suum quisq;.*) Tanquam maximæ hoc uirtuti tribuatur, & eruditi id in-
primis hominis sit, pensum suum agnoscat ut unusquisque, & id absoluat.

οὐδ' ἄν γνῆια σ' ἤργη εἰς ὑψος μέγα. *Nec nobilitas immensa te in excelsum extulit.*)
Euripidis sunt hæc in Tragedia, cui titulus, Phœnissæ.

a thesau.

Ja. Dani. Paganini ps.
[Handwritten signature]

Ex libris Caroli Vassalli

Nota ms sul f. di guardia ant., cop. CCLA, 20160130